

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Icones sive imagines virorum literis illustrium**

**Reusner, Nikolaus**

**Argentorati, 1587**

Matthias Zellivs Caesarispergius

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

MATTHIAS ZELLIVS CAESARISPER-  
gius, Argentin. Eccles. Pastor.



*Me primum liquidam colit Argentina docentem  
Clara fidem, Latio libera facta iugo.*

M. D. XLIIX.

MATTHIAS ZELLIVS CAESARI-  
spergi in Alsatia natus. Anno  
M. CCCC. LXXVII:

Post Magisterij gradum Philosophici, in Aca-  
demiâ cum laude adeptum.

Literis Diuinis impensè deditus:

Parochus primùm & sacerdos in æde D. Lauren-  
tij factus Argentinx, A. M., D. XXI.

Pòst cœlesti illustratus veritatis cœlestis lumine:

Primus Antichristianæ doctrinæ palàm  
aduersatus:

Magna Cleri inuidiâ, & vitæ cum di-  
scrimine magno,

Profligatis ex Ecclesia superstitionibus,  
Fidelibus Bucero & Hegione adiutoribus:

Sanctam Euangelij Doctrinam puram putam in  
vrbe docuit, annis XXVI. circiter:

Homo non doctrinâ tantum, sed etiam Christia-  
nis virtutibus, ac præsertim modestiâ, tempe-  
rantiâ & caritate in pauperes in-  
signis:

Obijt placidè in Christo IX. Ianuarij die: Anno  
vitæ LXXI: Christi M. D. XLVIII.

Eteostichon.

*Occubuit celebris felici sorte Mathias:*

*Vix tantus nostrâ Presbyter urbe fuit,*



Hostis erat scelerum, cultor virtutis, amicus  
Veri: nihil fortis timens pericula.  
Aequauit vitâ doctrinam sanctus honestâ:  
In pauperesq; liberalior fuit.  
Felix coniugio, felix florente senectâ,  
Obit dolore ciuium grauissimo.

EIVSDEM.

Zellius, ut vitæ bisseptem lustra peregit,  
Mutauit vitam nobiliore suam.  
Illius, optatâ licet ipse quiete fruatur,  
Argentina tamen tristia fata dolet.  
Namque ita degebat vitam, ne cerneret vllum,  
Vel virtute sibi, vel pietate parem.  
Sex lustris Pastor summus, lustro at minùs vno  
Sinceram docuit primus in vrbe fidem.  
Præco pius Christi, sed Papæ asperrimus osor:  
Zelo quippe malos oderat ille pio.  
Disimulare nihil, nihil is simulare solebat:  
Sed par doctrinæ vitæq; corq; fuit.  
Nocte dieq; suas ædes patefecit egenis,  
Et se pauperibus præstitit ille patrem.  
Tandem, vbi sollicitè cõmissa Ecclesia Christo est,  
Exspirat, Domino vota precesq; ferens.

ABRAHAMI LOESCHERI.

Hic situs est, placidâ consumptus morte, Mathias:  
Si modo, qui viuit, mortuus esse potest.  
Spiritus aethereas saluus peruenit ad arces:  
Perpetuum toto nomen in orbe volat.  
Hoc duce diuinum coepit splendescere verbum,  
Ac bene detergo clarius esse situ.  
Afferuit summi crescentia dogmata Patris:  
Dum vox, dum virtus, dum ratio vlla fuit.  
Quisquis es, huic faueas, & fausta precare viator:  
Et dic, sub terrâ molliter ossa cubent.

NICOLAI REVSNERI.

Te quoque Pontificum Zelli sacra ficta colentem:  
Caesareus cui Mons patria clara fuit:  
Te fidei demum renouatum luce beata,  
Quando Dei pure caelica verba doces:  
Argentina colit merito post funus honore:  
Per te quæ coepit noscere ritè Deum.  
Fidus erat dux Pfarrerus, pariterq; Iacobus  
Sturmius: hic Prætor, Consul at ille bonus.  
Annorum moreris tandem satur, atque laborum:  
Fatalis Iani lux tibi nona fuit.

Eteostichon.

Phœbus ubi rutilans Capricorni signa reliquit,  
Zelli care, quies mors tibi visa fuit.